



**R.P.Fr. Lvdovici Granatensis Ordinis S. Dominici SS.
Theologiæ Professoris Opera**

In tres tomos distributa

Opvscvla Spiritvalia Continens, in quibus peccatores à semita vitiorum &
perditionis, ad regiam virtutum, perfectionis, ac salutis æternæ viam,
perducuntur

Luis <de Granada>

Coloniae Agrippinae, 1626

[Exhortatio.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79597)



IN SEQUENTES
DE ORATIONE
ET MEDITATIONE

R.P.F. LVDOVICI GRANATEN-
SIS LIBROS,

F. BERNARDI DE FRESNEDA EPISCOPI CVENCAE,

AD CHRISTIANUM LECTOREM UT SEDU-
lo, cum attentione, & desiderio proficiendi in pietate eos legat,

EXHORTATIO.



Omnis Sanctorum doctrina est, iusto tria esse neces-
saria, quæ & inestimabilem fructum adferunt, & his tri-
bus iustum in sua iustitia conservari. Sunt autem hæc O-
ratio, Lectio, & bona Operatio. In his debet iustus sese
quotidie exercere, atque tempus suum partiri tanta cum
discretionem, & zelo Christiano, ut semper horum aliquo
occupetur. Oratio illuminat, purgat, consolatur, lætifi-
cat, fervorem parit, tribulationes reddit leuiore, fouet
deuotionem, generat fiduciam (si spiritus noster nos non
reprehendat) expellit ignaviam, terret Dæmonem, & vincit tentationes: ideoque
dictum est à quodam Sapiente. Ne pigeat te orare, si à vitij cupias liberari. Oratio
utilis est ad impetrandam gratiam, sine qua moritur vita spiritualis: ideoque & ora-
tio præfertur lectioni. Quare & Tertullianus dicit de Oratione, semper exercen-
dum esse, quod semper prodest. Addit idem, Si quotidie omni momento oratio
hominibus necessaria, utique & continentia, quæ orationi necessaria sit. Oratio
de conscientia procedit, si conscientia erubescit, erubescat oratio. Spiritus ducit
orationem ad Deum: si spiritus reus apud se sit, conscientia erubescit, quomodo
audebit orationem ducere ad altare?

Tertullian.
Exhortatio
ad Casti-
tatem.

* de continen-
tia legis au-
ctor.

Cassiod. super
Psalm. 50.

Et Cassiod. *Multum prodest Christiano ad stabilitatem cordis impetrandam orationis
assiduitas.* Continua namque oratio posita est, per quam ira Dei suspenditur, venia
procuratur, poena refugitur, & præmiorum largitas impetratur. Cum Deo loqui-
tur, cum Iudice fabulatur, præsentem sibi facit, quem videre non præualeat, ad pe-
netralia Iudicis peccator admittitur, & nullus inde respuitur, nisi qui in eatepidus
inuenitur. Oratione vincuntur Dæmones, & eorum vires franguntur, oratione
iustus tentationes Dæmonum debilitat. Oratione iustus fit robustus, & victor in-
expugnabilis. Si ores continuè, accipies suauitatem & maius orandi desiderium.
Tunc oramus cum veritate, cum aliud nihil cogitamus, & omnes cogitationes no-
stre rebus celestibus sunt intextæ, cum cor nostrum igne Spiritus Sancti est inflam-
matum. Ipsi oratio perfecta est, cuius & causa clamat, & lingua, & actus, & ser-
mo, & vita, & cogitatio.

Tres

Tres sunt orationis effectus: Primus omnibus operibus in charitate factis communis est, nimirum quod est meritoria: & ad hunc effectum non requiritur necessario actualis intentio: sed sufficit habitualis, quemadmodum & in omnibus alijs actibus meritorijs.

Secundus effectus est orationi proprius: impetrare scilicet à Deo, quod petitur: & ad hunc effectum sufficit etiam prima intentio, vt Deus respiciat ad opus nostrum. Nam si hæc desit non impetrabit homo, quod petit: Deus enim non audit orationem illius, qui non petit, quod petendum erat: aut non in eum finem, qui bonus est.

Tertius effectus orationis est spiritualis animæ resectio, & ad hunc effectum necessariò requiritur attentio in oratione: non illa tantum quæ occupatur circa verba materialia, neque illa, quæ circa sensum verborum est: sed illa, quæ respicit finem orationis, qui Deus est: & id propter quod quis orat.

LECTIO rerum sacrarum utilis est, & conducibilis: quæ non tantum illuminat nostram ignorantiam, sed etiam soluit nostra debita, corrigit errores, docet bonos & sanctos mores, detegit vitia, hortatur ad virtutes, excitat feruorem, aufert timorem, colligit mentem, recreat & consolatur animum fastidientem, & languentem. Magni momenti est lectio rerum sacrarum, & earum materialium, quæ animam distractam & vagantem per varias res contrahit, & colligit. Lectio monstrat & docet viam bene viuendi, Exempla inducunt & prouocant ad imitationem; Oratio impetrat gratiam ad id commodè faciendum. Bona est lectio, melior oratio, optima Operatio. Vtile est legere, vtilius orare, vtilissimum propter Deum bene operari. Ex lectione sacra fluunt bonæ de Deo meditationes, ex bonis meditationibus bonæ affectiones, & promptissimæ spiritus ad Deum eleuationes ex quibus nascitur oratio integra, & perfecta: quæ penetrat cælos, & cupit vniri cum Deo, in quo sunt omnia bona, quæ possunt desiderari.

Et quia debilitas nostra non potest semper in oratione & lectione perseuerare, vtile est & necessarium aliquid boni agere: ita vt nunc operatio præcedat orationem, nunc oratio operationem: nunc ita coniungantur, vt qui operatur, idem & simul oret. Operari manibus præterquam quod prodest corpori, etiam conducit spiritui & edificationi proximi, sensuumque nostrorum reparationi. Et si ignauia obrepit, si debilis fias, si exanimeris, perseuera & vinces. O quis peruenire poterit ad illam perseuerantiam Sanctorum, qui orabant sine intermissione erantque assidue in lectione, & in bona operatione adeo feruentes, vt nullis afflictionibus, molestijs, aut curis in his studijs potuerint impediri? Quid aliud est nobis vita Sanctorum, quam sacra lectio, sine intermissione imitanda? Qui pro amore Dei vim patitur, maiorem gratiam ab illius liberalitate percipiet, & confestim merces dabitur ipsius afflictioni. Mala consuetudo bona vincitur, & si longo vsu in naturam vertatur, fit adeo potens & robusta, vt omnia quæ sunt ardua & difficilia, faciat leuia atque facillima. Omnia hæc iusto proueniunt ex assidua oratione. Ideo dicit Paulus: *Sine intermissione orate.* Sciebat nos inimicis circumdari, temptationibus impugnari, tribulationibus infestari, foris bellum, intus nobis esse timorem. 1. Thess. 5, 17

Permittit quidem Deus varias in mundo regnare afflictiones, & varias tribulationes propter peccata populi, vt ijs electi excitentur, & ad cælestia, æternaque anhelent. Qui non orat, non pugnat: & qui non pugnat, atque virili animo resistit, facile vincitur, & coronam amittit. Si me interrogaueris, quis poterit semper orare, & pugnare semper? dicam id eum posse, qui vero & humili corde inuocat Deum, vt opem ferat: & in eo sperat cum fiducia. *Dominus enim (vt ait Dauid) prope est inuocantibus eum in veritate.* Psalm. 144, 18.

Quod si non poteris orare semper voce, fac ores spiritu, mente, & pia intentione: est enim iuge sacrificium Deo in animabus nostris desiderium bene operandi, & illi seruiendi. semper oratis, qui semper agit bene, & qui ex toto corde dolet ob peccata sua, quæ commisit; qui que ingemiscit, & ad bona futura toto anhelat spiritu, hic

Granat. Opusc. spirit.

N 3

ritu, hic

Psalm. 37, 10. ritu, hic semper orat, & dicit cum Dauid: *Domine ante te omne desiderium meum: & genitum meum à te non est absconditus.*

Hæc tria, Christiane lector, quæ diximus, iustum in sua iustitia conseruare, docent mirabili modo & ordine libri R. P. F. Lodoici Granatensis: adeo ut duro sanè animo & corde sit necesse est is, qui legens eos cum attentione, deuotione, & Christiano proficiendi desiderio, in tribus his, lectione, oratione, & bona operatione fructum non faciat. Qui enim in his tribus cupit proficere, habet hic doctrinam Catholicam, sanam, vtilem, & in omnibus cum sanctis Doctoribus & sacra scriptura conuenientem: in qua non inueniet aliquid quod offendet, aut quod scrupulum illi pariet. inueniet autem multa, quæ ædificant, delectant, docent, & ad amorem Dei, odium peccati, & mundi contemptum adducent. Quibus fructibus nemo frustrabitur. Auctor enim doctrinam sic temperat, sic omnibus hominum conditionibus & personis accommodat, ut nec sublimiores eam contemnant, tanquam humilem: nec humiliores ab ea abhorreant tanquam nimis sublimem: tam enim his, quam illis sic eam accommodauit, ut utrique hic cibum inueniant suo palato gratum & conuenientem. Et quia non ignorabat Auctor, quam diuersa sint hominum huius ætatis palata, & quam gustus eorum varij, quantoque magis appetunt cibos Aegypti, quam panem Angelorum: hoc est, quanto magis afficiuntur lectione librorum profanorum, eo quod stylus ipsis videatur esse dulcior, quam lectione doctrinæ spiritualis, quæ simpliciori fere stylo tradi consuevit, tanta arte & ingenio cibum hunc condidit, & tam dulci, gratoque stylo conscripsit hos libros, ut etiam ijs, qui sine gustu sunt, appetitus edendi excitetur, præterquam quod res ipsæ, quæ traduntur hic, selectissimæ sunt & utilissimæ.

Quia vero iniquum, & inciuile erit, gratias agere ipsis apibus, qui dulce mel conficiunt, & non Deo, qui flores creat, unde legunt quod in aluearibus operantur: placuit omnes exhortari. ut sic agamus gratias Auctori huius operis tam dulcis, & delicati, ne obliuiscamur illius, qui dedit flores, unde opus hoc compositum est. sic enim futurum spero, quod diuina gratia eam in omnibus horum libellorum lectoribus operabitur dispositionem, ut in posterum ea cum præparatione, intentione, puritate, & feruore suam instituunt orationem, quem sancta hæc lectio docet, & in omnibus requirit.

¶ (o) ¶

F. B. Episc. de Cuenca



REVE-